



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

II. Quid requiratur ad formalem & perfectam Hæresin?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

nendo. Unde ex genere suo, ac per se loquendo, Infidelitas est gravius peccatum omnibus illis, quæ contrariantur Virtutibus moralibus, puta furto, adulterio, homicidio, & hujusmodi: quamvis per accidens, nempe propter imperfectionem actûs, possit interdum Infidelitas esse minus grave peccatum.

## QUÆSTIO II.

Quid requiratur ad formalem & perfectam Hæresin?

**E**T si præsens Quæstio procedat de omnibus tribus Infidelitatis speciebus, specialiter tamen moveri solet de Hæresi, utpote magis obvia: quamvis quæ de hac dicuntur, suo modo locum habeant in alijs Infidelitatibus. Porro Hæresis est nomen græcum, & dicitur sic ab electione; atque ex usu Scriptorum Ecclesiasticorum plerumque accipitur in malam partem, nempe pro ea electione, qua ex arbitrio nostro contra doctrinam Christi, & sensum S. Matris Ecclesiæ eligimus nobis, quid credere velimus.

Hæresis una de sic dicitur?

10. CONCL. I. Hæresis est error voluntarius, quem quis pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Christianæ, quam suscepit seu professus est. Ita in re communis Doctorum, & magis patebit ex dicendis. Solum nota, ad Hæresin requiri, ut quis Fidem Christi aliquando suscepit per Sacramentum Baptismi, vel alias eandem publicè professus sit; alioquin enim error contra Fidem esset Paganismus, vel Judaismus. Catechumeni tamen, id est, in Christum credentes, sed nondum baptizati, si post susceptam Christi Fidem ad hæreticos deficiant, coram Deo verè sunt Hæretici, licet non subiaceant pœnis ab Ecclesia contra Hæreticos latis, eò quod per Baptismum necdum sint ingressi in Ecclesiam. Pirhing *tit. de Hæretic. num. 3. & alij.*

Et quid sit?

11. CONCL. II. Ad Hæresin formaliter sumptam duo simul requiruntur, nimirum & error in intellectu, & pertinacia in voluntate. Ita communis. Et quidem requiri errorem in intellectu, patet: quia Hæresis est species Infidelitatis, hæc autem importat errorem in intellectu contra veram Fidem.

Ad hæresin formaliter sumptam requiritur & error in intellectu,

Contra-  
nam.

12. Inferunt proinde Doctores, quod si quis metu mortis, seu poenarum neget exterius fidem, aut aliquid fidei contrarium affirmet absque tamen interiori mentis assensu (id est, non credendo id, quod ore profert) quamvis graviter peccet contra preceptum profitendi exterius fidem, verò tamen & propriè coram Deo, & in Foro conscientie non sit hæreticus: quia Hæresis essentialiter consistit in interno iudicio erroneo intellectus contra veram fidem, quale hic non adesse supponitur. Additur notanter, *contra Deo, & in Foro conscientie*. Siquidem in Foro externo Ecclesia talis censetur hæreticus, atque ut hæreticus per Inquisitores hæretice pravitate merito puniatur: nam *Ecclesia non iudicat de occultis, c. Erubescant. dist. 32. & c. Sicut quis de a-*

Exponit  
in vo.  
hæretic.

13. Quod autem simul ad formalem & perfectam Hæresin requiratur pertinacia in voluntate, sciunt passim Doctores. Unde D. Augustinus *Epist. 162* ac refertur *can. Dixit idiosyllus 24. q. 3.* sic ait: *Quia sententiam suam quantum falsam, atque peruersam, nulla pertinaci obstinate defendunt, pro asertum quum non auctoritate sua presumptioni pepererunt, sed a falsitate atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quorum non auctorem casu à falsitate dicitur veritatem, corrigi putant, cum inveniunt, nequaquam sicut inter hæreticos de qua audet. Hæc ibi.*

Hinc etiam  
contra Fi-  
dem, sed pu-  
eris crede-  
re quod cre-  
dit Ecclesia,  
non est hæ-  
reticus.

14. Inferunt rursus Doctores, quod errans contra fidem, simultamen iudicio Ecclesie sese submittens, paratus credere, quod ipsam credere intellexerit, non sit hæreticus: quia in suo errore non est pertinax. Idque demonstratur ex Jure Canonico, *cap. Damianus, de Summa Trinitate*; ubi hoc de causa Joachim Ab-  
bas non censetur hæreticus, non obstante, quod doctrinæ sententiam hæreticam eidem damnatam: quia videlicet scriptura sua submitit iudicio Sedis Apostolicæ, sique non fuit pertinax, ac proinde neque hæreticus, sed erraticus, ut loquitur *Flagellans ad c. c. Damianus. n. 28.* Et hoc de causa Scriptores Catholicitatem in principio, vel fine librorum suorum, solent apponere proclama-  
tionem, qua omnia sua dicta & scripta iudicio & correctioni Sanctæ Ecclesie Catholice subijciunt: per hoc siquidem evitant periculam hæretice pravitate, cum forsam in eorum scriptis, per inadvertentiam inirepers doctrina ab Ecclesia damnata reperiretur. *Flagellans loc. cit. n. 29.*

Contra  
Scriptorum  
Catholicita-  
tem.

Quid, si ali-  
quis igno-

15. Quomodo addunt Doctores, quos citat, & sequitur *Pirhing tract. de Hereticis, num. 2.* quod si quis ignoret, etiam ex igno-

rantia mortaliter culpabili & crassa, opinionem suam adversari doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, jam non sit propriè hæreticus, neque Ecclesiasticis Hæreticorum pœnis obnoxius. Rationem dant: quia deest pertinacia, quæ requirit scientiam, quòd contrarium teneatur ab universali Ecclesia Christi. Accedit, quòd peccatum hærelis non sit peccatum ignorantia, sed peccatum infidelitatis positivæ: ad hanc autem requiritur, ut Mysteria Fidei cuius sufficiens proponantur. (a)

16. CONCL. III. Pertinacia ad Hæresin formalem requisita non consistit in hoc, quòd quis errorem suum acriter & mordicus diu retineat, & pertinaciter tueatur: sed in eo consistit dicta pertinacia, quòd quis suum contra Fidem errorem retineat, postquam contrarium est ipsi sufficienter propositum, sive quando scit contrarium teneri à reliqua universali Christi Ecclesia, cui iudicium suum vult præferre. Ita Mastrius *disp. 10. Theolog. Moral. n. 24.* estque in re communis. Ratio est: quia quilibet in rebus credendis tenetur se subicere regulis ab Ecclesia præfixis, utpote quæ est *columna & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. Igitur si quis hoc non fecerit, jam plus nimio & inordinatè adhæret errori suo, atque ideò pertinax in eo censeri debet.

17. Inferitur proinde, quòd ad hanc pertinaciam non requiratur major mora temperis, quam quæ requiritur ad hoc, ut cum plena advertentia possit quis judicare de veritate Fidei sufficienter sibi proposita, & nihilominus suo velit iudicio adhærere. Multò minùs requiritur prima, vel secunda correctio; quamvis hæc possit conducere ad plenè cognoscendam latentem pertinaciam contra veritatem Fidei.

18. CONCL. IV. Rectè proinde Hæretici dividuntur in formales, & in materiales tantùm. *Formales Hæretici* dicuntur illi, qui cum pertinacia eligunt, vel sequuntur sententiam hæreticam contra definitionem Ecclesiæ; sive id fiat lucri temporalis gratiæ, sive intuitu vanæ gloriæ, vel odij, aut vindictæ. Et de his loquitur S. Augustinus *lib. de Fide Catholica*, atque refertur c. Firmissime de Hæretic. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum, vel schismaticum, cum diabolo & angelis ejus, æterni ignis incendio participandum, nisi ante finem vita, Catholica fuerit incorporatus, & re-integratus Ecclesiæ.* Hæc ille.

19. *Hæretici materiales* (qui tamen juxta S. Augustinum *num. 7. relata, nequaquam sunt inter hæreticos depurandi*) dicuntur illi, qui

ret, opinio-  
nem suam  
adversari  
sensui Ec-  
clesiæ?

(a) *Juxta  
dicta Dist.  
2. n. 30.*

Pertinacia  
ad hæresin  
requisita, in  
quo con-  
sistat?

Corolla-  
rium.

Hæretici  
formales, &

Hæretici  
materiales,  
qui?



qui non ex malo animo aut pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis errant circa Fidem. Et horum multi sunt in vulgo Hæreticorum: nam defectu pertinaciæ nemo est hæreticus formaliter, qui paratus est iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit veram Christi Ecclesiam contrarium tenere, vel ita dispositus est saltem habitualiter, ut à suo errore discederet, si sciret eum esse veræ Fidei contrarium. Maius *loc. cit. & alij.*

Dubitans  
de Fide pec-  
cat peccato  
hæresis.

20. Quæres, an dubitans de Fide sufficienter sibi proposita committat Hæresin? Resp. I. Qui circa Fidei articulum, seu propositionem aliquam sufficienter sibi propositam deliberatè dubitat, peccat peccato hæresis; cum virtualiter iudicet, ejusmodi articulum Fidei habere incertam veritatem. Hinc Stephanus Papa, relatus *cap. 1. de Hæreticis*, ait: *Dubius in fide, infidelis est, sive hæreticus.*

Dummodo  
excipiatur  
natus inter  
hæreticos,  
donec suffi-  
cienter in-  
struatur.

21. Dicitur notanter, *circa articulum Fidei sufficienter sibi propositum*. Nam, ut cum alijs notat Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 13. n. 5*, hinc excipiendi sunt illi, qui inter hæreticos nati & educati, Catholicam Religionem ignorant: his enim dubitare interim licet, donec instruantur, & argumenta seu motiva credibilitatis Fidei nostræ sufficienter & rectè apprehendant. Ratio est: Quia talis dubitatio in istis non est conjuncta cum pertinacia, imò eam ordinant ad penetranda melius fundamenta Fidei Catholicæ; exemplo Beroënsium, qui auditâ prædicatione S. Pauli *susciperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*, ut legitur in Actibus Apostolorum, *cap. 17.*

Quid dicen-  
dum de in-  
voluntarijs  
cogitatio-  
nibus hære-  
ticis?

22. Additur etiam, *deliberatè dubitat*; alioquin enim ob defectum voluntarij peccatum non incurritur. Et hinc annotandum est, eximendum fore scrupulum ijs, qui de Fide Catholica dubitare se putant, eò quòd hæreticæ aut blasphemæ cogitationes ipsis occurrere soleant: cum enim has serio detestentur, & nunquam (uti supponitur) in animum venire exoptent, insuper prostrationem faciant eis nunquam consentiendi, non possunt culpæ imputari, sed magis merendi apud DEUM occasionem præbent.

Dubitans in  
Fide, an in-  
currat ex-  
communicationem?

23. Resp. II. An dubitans de Fide, suamque dubitationem signo exteriori sufficienter manifestans, præter peccatum mortale insuper incurrat excommunicationem ipso jure latam in Hæreticos, major est difficultas. Affirmant plerique in casu, quando quis deliberatè dubitat, suamque dubitationem signo

ex-

externo sufficienter prodit; idque asserunt propter rationes  
num. 20. allatas. Negat Tannerus tom. 3. disp. 1. quæst. 8. n. 109. post  
Sà, eò quòd talis hæresin planè consummatam & perfectam non  
habeat. Idem probabile censet Lud. Engel in Collegio Juris Can-  
nici, tit. de Hæreticis, num. 2. cum alijs.

### QUÆSTIO III.

De conditionibus ad incurrendam excommunicationem ob Hæresin latam requisitis, ejusque ab-  
solutione.

24. **I**nter varias Hæreticorum pœnas, Jure tum Canonico, tum <sup>Inter alias hæreticorū pœnas prima est excommunicatione,</sup> Civili contra eosdem latas, de quibus fusiùs agunt Juris-  
confulti, maxima & prima est excommunicatio major:  
quam non quidem ipso Jure Divino, sed antiquissimo Jure Ec-  
clesiastico incurrunt. Et licet olim hæc excommunicatio non  
fuerit latæ sententiæ, post modum tamen & ipso jure incurreba-  
tur tanquam censura latæ sententiæ, & defacto est reservata  
Summo Pontifici per Bullam Cœnæ Domini, sic dictam, quia  
quot annis à Summo Pontifice promulgari solet in die Cœnæ  
Domini. His prænotatis sit

25. **CONCL. I.** Ad excommunicationem ob Hæresin in- <sup>Ad excom-  
municationem ob hæ-  
resin incur-  
rendam  
quatuor  
conditiones  
requiruntur.</sup>  
currendam sequentes quatuor conditiones requiruntur. Prima  
est, ut quis sit hæreticus formalis: nam hæretici materiales dun-  
taxat, sicuti juxta S. Augustinum superiùs relatam inter hæreti-  
cos deputandi non sunt, ita neque excommunicationem in hæ-  
reticos formales latam incurrunt. Hinc tales à proprio Parocho  
possunt sacramentaliter absolvi: quamvis aliquarum Ecclesiarum  
consuetudo exigat, ut tales etiam materiales hæretici mittantur  
ad eos, qui ab hæresi potestatem absolvendi habent. Layman  
ibidem cap. 13. n. 4. Pirhing tit. de Hæreticis, n. 16. & alijs.

26. Secunda conditio ad incurrendam dictam excommu-  
nicationem requisita est, ut quis hæresin internam signis exter-  
nis manifestet: siquidem ob solam hæresin mente conceptam  
non incurri excommunicationem, eò quòd Ecclesia non puniat  
actum merè internum, passim fatentur Theologi; ac proinde ab  
eadem possunt absolvi qui vis expositi Confessarij. Sufficit  
autem ad incurrendam excommunicationem propter hære-

Ec 3 sin,